

JACOB BALDE

EPITHALAMION MAXIMILIANO ET MARIAE ANNAE

(693 vers)

EPITHALAMION, QUOD SERENISSIMIS CONIUGIBUS, MAXIMILIANO, BOIARIAE DUCI...

v.1 Hortus ad Auroram spectat, quo pulchrius Orbis
 2 vix quidquam Germanus habet, pretiosior auro
 3 Hesperidum ; et si quod multa ausa Semiramis olim,
 4 ventorum auxilio, pendens nemus intulit astris.
 5 Illum oriens Titan primis hinnitibus afflat,
 6 subsistitque diu faciem miratus amoenam ;
 7 et praetervectus Clymenaei nectaris imbrem
 8 invergit : referuntque dies ab honore ministri,
 9 saepe loci forma captum Titana volucrem
 10 his voluisse suam, Phoenicem, credere septis.
 11 Hic habitat festivus Hymen, diversus ab illo,
 12 quem Musa genitum prisca coluere, virenti
 13 verbena nucibusque proci, Cypriisque columbis.
 14 Hunc nova concepit Tiberino in litore Roma,
 15 in castos enixa toros : quo tempore septem
 16 Montibus accessit rupes octava Tonantis.
 17 Atque inter scopulos dominari Petra Latinos
 18 coepit, et obrivit veterum delubra deorum.
 19 Integer ardenti placide suspirat in ara,
 20 Inque animos clementer agit, mitique calore
 21 suscitatur, et tantum caelestes in serit ignes.
 22 Quem penes est Geniale Sacrum, sidusque benigna
 23 pectoris, et blandi dulcis consensus amoris.
 24 Unde suo fretus ingenio, quaque augure gemma
 25 incendit digitos ; sensus explorat in omni
 26 conjugum secretos, penetratque arcana futuri.
 27 Quodque immane bonum est ; paribus conjungere taedis.
 28 Dignatur similes, et mentes mentibus aequat.
 29 Non lavat ex Hermo digitos vel Gange : sed haeret
 30 annulus in manibus persecto ferreo orbe.
 31 Quem nec chrysolitho decorat, nec iaspide cingit,
 32 nec flammis hyacinthe tuis. Praefertur amoris
 33 nutrimenta sui carpens rigidissima, magnes.
 34 Qui rapit arcano ductus spiramine ferrum,
 35 idque flagrans spreto complectitur artius auro.
 36 Cujus ab exemplo, non dotem suaserit ulli
 37 extorquere minis : nam tantum novit amare
 38 fortiter, id quod amat ; tantumque id novit amare.
 39 Infames Veneris stimulos, puerique salacis
 40 immitem telis pharetram ; vel foeda Getarum
 41 foedera, et Othrysi damnat conubia Turcae.
 42 Odit Hamadryades, et rustica pectora Faunos,
 43 sanctior ingenuis flammis deradit ab astris,
 44 cum dulci risu se scintillantia solvunt.
 45 Quas ubi collegit non degener Hesperus, alte
 46 infundit sponsis, et serica vincula nectit.
 47 Pacis opus : durant, quasi sint adamante ligata.

48 Vestales animos innodat ahenea virtus.
 49 Aequaevas inter Charites, et gaudia mentis,
 50 pronubus hic amplo juvenis spatiatur in horto.
 51 Cujus in amplexu tholus est, mediaque medulla
 52 surgit aprica domus, mulcenti pervia vento.
 53 Namque Eurus, reliquaeque timent accedere Buccae.
 54 sparsa nitent asarota solo : fastigia fornix
 55 illaqueat : paries variato murice fulget.
 56 Tota loci series octo divisa recedit
 57 partibus. Euterpe reperit, scripsitque Thalia,
 58 compegit nemoris corpus florale Voluptas,
 59 et certo tinxit felicia germina succo.
 60 Moenibus ambitur solidis, quibus haeret utrimque
 61 porticus excurrens, vasto longissima tractu.
 62 Fortia quo videas magni monumenta labores
 63 Herculis : ut Libycum compresso gutture monstrum
 64 edomet, offensus monstro majore noverca,
 65 ferratas ut figat aves ; medioque subactum
 66 corpore Terrigenam, dextra sustollat in altum.
 67 Exclamare putes miserum, nimiumque negatam
 68 Terrae matris opem, pendenti quaerere calce.
 69 Sic premit Alcides, premiturque Antaeus, et aegre
 70 stridenti vapidum revocat pulmone calorem.
 71 Ipse aliquando ruit verus Tirynthius astris,
 72 visurus fictos : conformatisque lacertis
 73 ad simulacra, suum corpus metitur in umbra ;
 74 majoresque fremens merito dolet esse Colossos,
 75 sic alibi pariter victus, cum imponitur aether,
 76 sudat, et Atlantem turbato respicit ore,
 77 adjectumque novum queritur sub pondere pondus.
 78 At Jove sub tepido, quem libera ventilat aura,
 79 perpetuo porrecta virent topiaria cinctu.
 80 Nil vacat. Optandis indulgent omnia votis.
 81 Hic Maii rubicunda cohors, hic candida ruptis
 82 in campum prodit calathis pars sparsa capillos
 83 puniceos, pars caeruleis argentea guttis,
 84 pars collo candente nitens, pars corpore flava,
 85 vincunt Paestani speciosos ruris ephebos.
 86 Gratia nam major. Mitissima nomina comptis
 87 ex merito natura dedit ; quibus aemula Natos
 88 quaeque suos ambit genitrix ornare puellos.
 89 Areolae fragrant : thalamicque et mollia terrae
 90 strata, quibus recubant, Milesia vellera vincunt.
 91 Ipsi autem innocuae vitae, summique pudoris,
 92 et faciles animi flores, examine justo,
 93 ad sua clementis serpunt tentoria clivi.
 94 Ut quando in belli conflictum Chloris itura,
 95 tympana pulsaret turmas cogentia, contra
 96 terribiles tribulos, urticarumque nepotes :
 97 illicet accinctas acies, et robur haberet
 98 militiae venale suae, nasumque moveret.
 99 Praepollens alibi multa super arbore foetum
 100 prosternit Pomona caput, variatque colores,
 101 et numerat prolem, quam toto largius anno
 102 educet incolumem, rivalique ubere lactet.
 103 Omnes incinctae foliis, ceu crinibus, adstant :
 104 consertasque manus, ramorumque agmina tendunt
 105 ponderibus librata suis. Mittuntur in aevum

106 fecundae tantum. Multa illis aurea mala
 107 delicias faciunt. Nulla illis Punica mala ;
 108 quod numquam fallant, vacuum frustrata colonum.
 109 O ! quoties Nymphae vicini fluminis, alta
 110 fraude tenebrarum tectae, dum Cynthia lusca
 111 connivet, tacito passu gradiuntur in hortum,
 112 et narrata volunt decerpere poma : sed adsunt
 113 Custodes strictis in talia furta sagittis,
 114 et cupidus arcent, fructosque tuentur amores.
 115 Jam cum lene tepet, blandaque Favonius aura
 116 excitat a somno lucum : vigilare coactae,
 117 dulce strepunt omnes, commota fronde, sorores,
 118 fraternumque sonum, Zephyro ridente, remittunt.
 119 Mobilis alloquiis Hymenaeum affatur, et audit,
 120 alteraque alterius garritibus utitur arbor.
 121 Concentum credas in rupe Heliconide natum
 122 proritasse novem, Phoebos Pythona ferente.
 123 Vivunt felices, magna est concordia morum.
 124 Seque fovent et amant, et mutua brachia nectunt.
 125 Quod si praeteriens testudine luderet Orpheus
 126 Thracius : his sane tota ex radice luberet
 127 sub Getica saltare lyra, podagramque fugare.
 128 Esto : non feriat vates Rhodopeius aures
 129 carmine ; dum feriat saltem Rhodopeia paelex.
 130 Suave trahit Philomela melos, laudemque meretur ;
 131 et laudem notat ipsa suam, vultque ipsa notari.
 132 Provocat in medium, si forte Thalassius audit
 133 mane salutatus. Modo namque aequabilis uno
 134 assurgit tractu, gutturque volubile longo
 135 lubricat impulsu, facilesque expectorat auras.
 136 Difficiles numeros modo colluctata retorquet,
 137 infuscat, scindit, carpitque, ac plurima mutat.
 138 Plurima dum mutat, surgit symphonia discors.
 139 Quando poscit Hymen, liquidos puri aeris haustus
 140 proicit, absorbetque iterum jaculabile murmur,
 141 atque intra fauces subigit, tacitumque choreuma
 142 delibrat, donec campo prorumpat aperto.
 143 Una eademque canit totiens distincta, venitque
 144 obvia saepe sibi, nonnumquam adversa, caditque
 145 ac surgit, vocemque premit, vocemque coruscat.
 146 Quod si festa duces subeant conubia, novit,
 147 novit et ipsa suos ad pompam augere tumultus.
 148 Erigitur sublime ruens, rostroque perorat
 149 fusius : e Rostris credas praesagia dici.
 150 Jamque ut lympha sonat : quae cursus immemor arva
 151 radit, et inventos divexat rore lapillos.
 152 Jam majore modo turgens, viventis ad instar
 153 fluminis, Aonidum lapsus imitatur aquarum,
 154 et sua Pegaseis stipat praecordia bullis.
 155 Jam pigri de more vadi, gemit intercisum ;
 156 et gemitus alia mox interpellat avena.
 157 Nonnumquam in duplices, dimisso simplice, ductus
 158 emicat, et pleno tinnit constantius ore.
 159 Dant animos sponsi. Facunda fluctuat aer
 160 temperie vocum ; modulosque reciprocos urget.
 161 Singultusque novos reddit. Nam gratia felix
 162 suadet utrasque vices, et amant alterna Camenae.
 163 Laudat Hymen, meritaque alas formosus inaurat.

164 Caetera quid memorem miracula nobilis Horti ?
 165 Visuntur grati errores, tortique recessus
 166 Daedaleis manibus Labyrinthi flexibus errant.
 167 Quo neque pertingat Phaethontis noxius error ;
 168 nec rabidos jaciat latrator Sirius ignes.
 169 Musarum Phoebique locus melioris, et arcu
 170 deposito citharas, secretaque tecta petentis.
 171 Illic saepe canit. Mox et pellucida Nais
 172 advolat, et vinci Siren arguta fatetur.
 173 Parte alia non est vetitum succedere soli,
 174 quin invitatur, quin invitatus ab axe.
 175 Desilit, et radiis crines exsolvit honestis.
 176 Ac tantisper equis (quis enim haec astuta notabit
 177 otia ?) detentis, nemoris petit arduus umbram.
 178 Aut talem inscribit buxo, revolutaque monstrat
 179 tempora, et angustat spatiosos aetheris orbes ;
 180 caelestesque vias, cursusque in margine signat.
 181 Nec gratis : ventrem raptis solatus anhelum
 182 obsaturat pomis, artusque in flumine fessos
 183 abluit egelido : donec repetita Phlegontis
 184 tergora conscendens, motis velocius Horis
 185 neglectum compenset iter. Qua collis ad imam
 186 vergit planitiem, stagnum natat, et vada torquet
 187 frigida, Neptuno non despicienda jocanti.
 188 Fama est, in famuli obsequium descendere noctu
 189 saepius, et structo ripas defendere tofo :
 190 Inque lacu ingentem gyrare Palaemona pisces.
 191 Nymphaeum lusura Thetis, canusque frequentat
 192 Nereus, et circum gemini modulantur olores.
 193 Multiplicata stupet ductus per gaudia visus.
 194 Scena viret, redolet myrtus ; vindemia thyrsum
 195 occupat, et ducit nubentem pampinus ulmum.
 196 Vix nocturna queunt Satyrorum furta caveri :
 197 tam dulces conjunx e palmite procreat uvas.
 198 Indica cum patriis peregrinaque germina certant.
 199 Sed superant fontes : quibus et Cytherea renasci,
 200 et tingi Galatea velit ; nisi torva pudici
 201 obstet cura Dei : neque enim hoc permiserit illis.
 202 Aere novo plumboque meant, variisque figuris
 203 propelluntur aquae. Mansuescunt colla draconum
 204 interfusa notis. Abjecta fulminis ala,
 205 pincernam Jovis ales agit, laticesque propinat.
 206 Hi fugiunt iterum. Tremulus cincinnus in orbem
 207 cogitur, assiduo renovans sua caerula lapsu.
 208 Mox sorbetur humo. Fors illas stabat ad undas
 209 conjugii numen : cum, quae blandissima virgo est
 210 Euphrosyne Charitum, subit, inque tenerrima verba :
 211 nos modo jucundo fruimur jactantius aevo,
 212 tuque magis. Sed enim ingrati durique videmur :
 213 qui patimur viduum facientem haec otia nobis,
 214 tot curis bellisque premi ; nec blanda vicissim
 215 otia, nec nostri decus indulgemus amoris.
 216 Tunc Roma genitus : nimium soror aurea fratrem
 217 instigas memorem. Praevenimus omnia vota.
 218 Imperii refert, id procurare, quod optas.
 219 Exsulta : quem nos titulis veneramur et ostro,
 220 Boicus Austriacam sponsam Septemvir habebit.
 221 Votis annuimus tacitis. Ea causa movebat

222 hoc totum lustrare nemus, fontesque ciere.
 223 Nunc buxum tondete manus, nomenque beatum
 224 pingite : scribatur cunctis in floribus Anna.
 225 Virginis id nomen. Cupient admittere sidus
 226 hoc omnes violae : cupient in fila secari ;
 227 huic Philomela canet, lymphaeque rosaeque micabunt.
 228 Stat mihi concordēs semper jungere dextras.
 229 Praeteriit majus, mensis felicior ardet.
 230 Interea rapido cursu delapsa Viennam
 231 Boica Diva super, summo stetit aethere contra
 232 Caesareas arces. Cesserunt nubila luci,
 233 adventum testata Deae ; pretioque Sabaeus
 234 plus quam mortali vestigia prodidit imber.
 235 Currus Eleusinus : duo quem traxere leones,
 236 majores illo, qui stellis additus axem
 237 perfurit, et longo rugitu sidera terret.
 238 Adde : quod et mites. Nam liber uterque lupato,
 239 ante fores lascivit humi. Securus ad antrum
 240 rictus accedas. Frons ardua frugibus albet
 241 maturis. Oculus grata perfulgurat ira.
 242 Pulsat cauda solum : transmittunt aera malae,
 243 volvitur aurato Gaetula in vellere moles.
 244 At Dea secretam gressum promovit in aulam.
 245 Interiore polo, dignaque in sede recepta
 246 substitit, et prono vultu libavit honorem,
 247 Austriaci gavisa Jovis contingere dextram.
 248 Exhilarans animosa genas, dein talia fatur.
 249 Si genibus questura tuis affunderer, et me
 250 urgeret maestam duri sententia fati :
 251 non hoc conspiceres velatam, Caesar, amictu.
 252 Alteraque atratos temeraret synthesis artus.
 253 Nunc alios suadet triplex mihi Gratia cultus,
 254 versaue Fortunae facies meliore metallo.
 255 Expertum est, nec laeta diu, nec acerba manere.
 256 Quid tribus his annis ad nostram defuit urnam
 257 exitiique lue? Siculi tormenta tyranni
 258 profuerat, calidumque fabro monstrante juvencum
 259 in nostro sensisse foro vis, arma, cometae,
 260 sanguinei nimbi, lapides, incendia, bustum,
 261 ut ne cuncta querar, deformavere venustam.
 262 Ac nisi conjunctis mecum Soror Austria peltis,
 263 instar Amazonidum, medios pugnasset in hostes :
 264 quo nunc in tumulo, qua nunc in nocte jaceret
 265 imperii declive chaos ? Fera bella fatemur ;
 266 expavitque nefas Orbis vertendus in ignem.
 267 Semper summa timent : et rex Saturnius olim
 268 anguipedum sensit furias, domuitque Gigantes
 269 sulphur, et in cineres fumantia membra redegit.
 270 Sed Divi juvere simul. Metuendus acutis
 271 Gradivus gladiis, hasta Tritonia Pallas.
 272 Te quoque (nam dulce est animo meminisse malorum)
 273 non una Enceladi rabies Titania, nostrum
 274 invasere Jovem. Cum justa oracula legum
 275 mandares : tumuere alii, saevisque nocentum
 276 in conjuratos stimulis abiere furores.
 277 Dentis opus poterat, Cadmique armata videri
 278 messis, et in jugulum segetes saevire paratae,
 279 in culmo clangente tuba. Redeamus in aevi

280 speluncam, et lapsos revocemus mentibus annos.
 281 Nempe quibus Princeps meus (inclinavit et ipsa
 282 immortale caput) nostro non maximus Orbi
 283 visus, cessavit partis velare trophaeis
 284 laurigeras aquilas ? Ex quo Brumalia Fusco
 285 sceptrum dedit juveni, titulo Fortuna negato,
 286 crudelem lusura jocum, lacrimasque datura
 287 e glacie : meus ille meus se immiscuit armis,
 288 Albanique jugum sordenti sanguine montis
 289 victor inundavit. Profugos Moldavia mersit.
 290 Dissecuit ferrum stantes. Quod Stella propinqui
 291 spectavit nemoris, concussaue moenia Pragae.
 292 Inde alius, semperque novus, cum turbine miles
 293 incubuit terris. Unius stirpe recisa,
 294 alter successit cauti, chalybemque momordit.
 295 Tilliacas acies, flavarum signa jubarum
 296 inferiora tuis equidem : tamen aspera sensit
 297 saucius, et totiens sua fractus in ossa rebellis.
 298 Flammigeræ volucris nullius saeviit ira,
 299 cujus non etiam contortas Boicus hastas
 300 debuerit lacerare Leo. Turlacia plaustra
 301 rupimus, et rigida munitas cuspide silvas
 302 obruimus fossis. Absorpta Badensis hiatu
 303 machina, complevit disjectis falcibus Orcum.
 304 Auspiciis hæc gesta tuis. Tu classica nobis,
 305 Tu vires animosque dabas ; nos strinximus enses.
 306 Cimbrorum quoque clausa palus, et vincta catenis
 307 torpuit a tabo. Tenuere objecta furentem
 308 claustra : procelloso ne posset militis aestu
 309 exundans, veluti Nilus, stagnare per urbes.
 310 Atque utinam paribus mare frenassemus habenis
 311 Balthicum, et immanem phocam, quæ prodiit illo
 312 gurgite, cornigeri sorbentem flumina Rheni.
 313 Scilicet id clades, et publica Fata vetabant.
 314 Jamque aderat Suecus : quem dissimulatus et ora
 315 et crinem barbamque Charon, vectabat eadem,
 316 qua vehit horrendos manes et funera cymba.
 317 Ille Lyco exhausto tendebat ad ostia magni
 318 Danubii, totis bibiturus fontibus Oenum.
 319 Dux meus infandum scelus et crudele notavit,
 320 damnavitque sitim. Non si balaena fatiscat
 321 inquit, et abruptis effundat viscera costis
 322 improba munitum squamis inciderit Istrum.
 323 Opponat latus Anglipolis, faucesque retundat
 324 ignibus objectis. Jam nos praevertimus astum ;
 325 concedetque meis antiqua Tiberia votis.
 326 Nos Aquilo pulset. Dum Caesar et Austria vivant.
 327 Sit tanti virtus. Ex illo tempore quantos
 328 sustinui fluctus ? Quo non demersa profundo ?
 329 Quid tale abductæ quondam timere Lacaenæ ?
 330 Decussæ capiti turres. Sulcataque ferri
 331 supplicio faciem, prope capta trahebar Adolpho.
 332 Diis nata a Gottho. Qui luxuriante malorum
 333 majestate ferox, amplexus gaudia nostri,
 334 Barbarus audebat Scythico promittere lecto.
 335 Addebat jam Leno minas ; et quidquid acerbum
 336 vel grave blanditiis, vel formidabile luctu.
 337 Abdidit insidiis tristis clementia Sueci.

338 Sed vicit tua sors, Caesar, fortunaque nostra
 339 te salvo rediit. Cumulavit victima sensum
 340 laetitiae : quod te vivente receperit hastam
 341 pectoris obnixu, trabeati Bestia colli.
 342 Eruimus ferale nefas, clausasque sub antro
 343 immansueti animi, sollerti indagine, mortes.
 344 Principis unius felix sapientia vicit.
 345 Te propter gelidas hiberno sidere noctes
 346 extraxit, viditque vigil tardare Booten.
 347 Te propter rapidos soles toleravit in armis,
 348 intravitque casas, et nulla umbracula fixit.
 349 His meritis unum, vel si quid apertius, unam
 350 sollicito, quiddamque mihi regale paciscor.
 351 Nec mea vota moror. Qui tot servaverat urbes ;
 352 Hannibalesque novos rimatus mente sagaci,
 353 e media rapuit non unum clade Saguntum :
 354 muralem poterat forsitan sperare coronam :
 355 quique Ratis-fragmenta-bonae statione recepit ;
 356 navalem e rostris. Sed tu concede jugalem,
 357 et satis est. Talem neque Roma aspexerit unquam ;
 358 et meus hoc pretium cupiet Dux Virginis esse,
 359 Annam, Dive Parens, illi deprecemur, Annam.
 360 Per te, perque tuos ; per meque, meosque triumphos
 361 obtestor ; patiare cani socer : ille meretur
 362 esse gener. Quid opus multis contendere ? Mater
 363 olim nostra fuit : reddatur filia nobis.
 364 In fontem redeat sanguis. Volet ipse redire.
 365 Jam promisit Hymen, nostro qui degit in horto :
 366 atque recedenti, nihil ambige, dixit : amabit
 367 quam petis. In teneros abeunt suspiria sensus.
 368 Sic Dea : sic contra placidis sermonibus orsus
 369 Juppiter Austriacus. Scimus discrimina rerum ;
 370 et nova Teutonicae memorata piacula Phlegrae,
 371 in nos sacrilegis surgentia vidimus armis.
 372 Sed damnata luunt. Si quis superesse Typhoeus
 373 audeat, ardebit. Causae nos fidimus isti,
 374 quam Deus ipse probat : tot fortia pectora, toto
 375 pectore defendunt. Non sum devinctior ulli,
 376 quam tibi, quamque tuo, pro me tot bella gerenti
 377 non delenda duci. Sciet hoc Victoria Virgo.
 378 Id quoque testatum transmissio fecimus Ostro,
 379 inque viris septem socium dignanter honoris
 380 summi censuimus. Namque hoc meruere profunda
 381 consilia, aetheriumque jubar, quod mente refulget.
 382 Insuper e nostra natam Junone, tuaque,
 383 offerimus sponsam. Conjunx sit principis Anna.
 384 Acceleret. Dixit, vultumque ad sidera torsit.
 385 Confestim strepuere Lares, dulcique tumultu
 386 icta, flagellatis nutavit postibus aula.
 387 Indicium choreis muri plausere futuris.
 388 Jamque super Mariam nungebat floribus albis ;
 389 mixtaque odorata de nube ligustra cadebant,
 390 in nimbi tumefacta modum. Sed et ipsa beatae
 391 conscia laetitiae, Superum praecordia, dulces
 392 effudere jocos. Nam mutavere colores,
 393 affectu dictante novum. Placuisse volebat
 394 non sibi, sed simili quaevis. Nivibusque rosisque
 395 Boica se sparsit : virgatis Austria Rhombis

396 processit. Teneri ingenium risere lepores.
 397 Inque vicem sese mire alternantibus odis
 398 compellant. Tu nostra Soror : jam tu quoque Mater.
 399 Tu divina Nurus : Tu Socrus. Tu mea Lux es ;
 400 Tuque oculus. Generum tu nostrum abitura saluta.
 401 Tu valedic socero : nam festinamus abire.
 402 Talibus argutant. Junctos arcana Leones.
 403 Invasere etiam calefactis gaudia fibris.
 404 Usque adeo mulcere jubas, et terga dederunt
 405 attrectanda manu. Quibus ad pilenta reductis.
 406 Et circumfusum findentibus aera longis
 407 tractibus, arrecto patriam temone subivit,
 408 nubibus aequatas arces, eductaque templa.
 409 Fama volat, proceresque docet populumque Thalia
 410 connubiale Sacrum, myrtusque et taeda paratur.
 411 Et quacumque fluit rixantibus Isara ripis ;
 412 Nereidum studio celebres narrantur amores.
 413 Quaeque comas vitreo distinguit pectine Nympha.
 414 Et molli musco, glaucisque obsessa lapillis,
 415 gestit in adventum sponsae formosa videri.
 416 Ipse Pater renovat fontes, urnamque superbo
 417 temperat argento, chlamydemque e virgine sumit
 418 crystallo, cannaque inflexos laxat amictus ;
 419 et meliore caput praecelsus arundine mutat.
 420 Auget Hymen solemne decus, visoque paratu
 421 obsequii, jacet ex horto conchasque marinas,
 422 sertaque, sed magno tamen haec studio neglecta :
 423 quae deceant hirtum caput, informemque senectam.
 424 Addidit incultos versus, et non bene natas
 425 e vulgo violas, et vulgares hyacinthos.
 426 Addidit et cultos versus, hilaresque smaragdos,
 427 et quae rorantes lucent electra per herbas.
 428 Nec non sollicitus, quanto molimine nuptam
 429 ipse quoque excipiat venientem ; abiturus amicum
 430 alloquitur Phoebum. Namque hoc spes omnis in uno.
 431 Intonsi juvenes pariter, pariterque sereni,
 432 ambo lyras et carmen amant, curasque relaxant,
 433 et consanguineis collidunt barbata curis.
 434 Latonae suboles, praeses dignissime Cyrrhae.
 435 Nunc quoniam nostro subituri more Viennam
 436 Principe cum sponso, taedam attollemus in altum :
 437 (non etenim fas est me absente attollere in altum)
 438 interea sis alter Hymen : molire beatam
 439 arte tua pompam. Tibi pulchra negotia mando.
 440 Omnia parebunt festivis numina votis.
 441 Sed cave, ne sistrum ferias, credasque licere
 442 cuncta tibi ; molles numeros foedeque procaces,
 443 et Fescenninos iterum damnamus amores.
 444 Casta volunt Superi. Ducenda Astraea per Orbem,
 445 sideris allucente juba, ducenda decore est.
 446 Caetera curabis. Sic, quae tua respuit olim
 447 (aspice mercedem) cupiet conubia Daphne.
 448 Sic ait, et plectro digitos imponere jussit,
 449 et juraturum proprias contingere vittas.
 450 Contigit, imposuit, juravit ; et omnia fila
 451 pertentans, fultusque sacro testudinis auro,
 452 grates laetus agit ; discedentemque Hymenaeum
 453 prosequitur cantu. Canit una cygnus, et alnus

454 sibilat, et metrum ramis vocalibus effert.
 455 Decidit in rupes, ramisque assibilat echo.
 456 Ille abit ; atque duci decus auspiciumque daturus
 457 lampade sollemni, vadit comitantibus Horis
 458 de meliore nota, placido Titane creatis.
 459 Respiciens tamen usque suum videt eminus hortum.
 460 At Phoebus, quem jam curae jussique labores
 461 distringunt, certo reliquos ex nomine divos
 462 ad fontes et ad antra citat, silvamque dolosam
 463 Theseos, et viridi maeandros saepe reductos.
 464 Huc coiere Dei. Spumosas exprimit uvas
 465 Lenaeus, fundit genetrix pulcherrima frugum
 466 flaventes aestatis opes : baccamque Minerva
 467 protulit, et grandes venatrix Delia cervos.
 468 Phoebus ait : vos o quibus hujus copia lucis
 469 exornanda data est, tantum cognoscite munus.
 470 Neu pudeat quemquam famulari talibus. Ambo
 471 nos superant. Hic est supremo proximus : illa,
 472 filia Supremi. Pulchrum certamen honoris.
 473 Hic adversa potest et tristia ferre secundo
 474 ac laeto vultu, constans ; laeta atque secunda
 475 adverso et tristi. Numquid sublimius itur ?
 476 Illa per Europam celeberrima, Caesare nata :
 477 sed nihil Europae, praeter decus oris honesti
 478 sidereasque genas retinet, frontisque pruinam.
 479 Hic gravibus curis innectit mitia jura,
 480 et rigidos castis substernit legibus enses.
 481 Illa voluptatem generoso semper honesto
 482 posthabuit, veteres exaequatura Sabinas.
 483 Hic positus supra fortunae flebile plumbum,
 484 calcat plebeias in mentis vertice valles.
 485 Illa Patris pietate fragrans, cum plurima formae
 486 debeat, excelsis virtutibus omnia debet.
 487 Hic ea legatis responsa petentibus edit,
 488 ut saepe attoniti dicant : haec hausit ab astris.
 489 Illa suae sacra genitricis imagine plena
 490 quod didicit teneris, auget vernantibus annis.
 491 Hic agitans rerum molem magnosque recessus,
 492 consilium ipse sibi est, gestatque in corde senatum.
 493 Illa diu prisca volvens exempla pudoris,
 494 vivit, ut exemplum poni mereatur et ipsa.
 495 Hujus adorandus Genitor, quam grande Lycaeum
 496 exstruxit nobis ! Ut malim habitare sub illo,
 497 quam Clario dormire jugo ; Pallasque relicta
 498 Phocide, Pieriis merito discedere silvis
 499 possit, et Argivas nemo miretur Athenas.
 500 Illius mirabor avos, dum nostra sonabunt
 501 litora, dumque alio vultu torquebimus axem.
 502 Si quae dona mihi, numquam numeranda, dederunt
 503 enumerem ; frangamque fides, lituosque tubasque ;
 504 argentique lacus cumulem torrentibus auri.
 505 Obstupere Dei, et plausum assensumque dedere.
 506 Hanc bigam, pergat pharetratus, comite pulchris
 507 ritibus : hanc reducem vestra cervice levate.
 508 Tu mensas succincta Ceres, thalamumque memento
 509 sternere : tu Liber missis servire racemis.
 510 Tu manibus lymphas, e puri fluminis urna
 511 Cymodoce formosa dabis ; figesque pudica

512 basia, et o dices, quam nos haec numina vincunt.
 513 Flavas Leucothoe pateras et ianthina terget
 514 pocula : curabit nostram Cyllenius artem.
 515 Dum vasto Patris cerebro prognata, politos
 516 ora sales jaciens, miscebit sesama verbis :
 517 quadrabit Dictynna dapes. Latonia fratrem
 518 occupat : et numquid maculis incingere saltus,
 519 irritare feras cornu canibusque pigebit ?
 520 Sunt mihi tot comites studiis communibus aptae :
 521 Nebrophone Cynthi, Cretae Britomartis, et Opis
 522 optima. Seu damas placeat, seu figere nostros
 523 aurigas : istis humeros et brachia nudis.
 524 Perque mihi suetos dotale sonantibus agros
 525 nomen, in occursum sponsae properabimus Annae.
 526 Annuat, et laxo respondens Phoebus ab arcu
 527 spicula concussit. Potes his, ait, minus uti.
 528 Nam quis lustra vetet jam perlustrare ferina ?
 529 Id tamen in placito tantarum pondere rerum
 530 nondum dispicimus : posituris retia campo
 531 nodosasque plagas ; quaenam reditura voluptas
 532 sit tam sollicitos compensatura labores.
 533 Nam quota pars fruitur ? Quis civis in avia fertur ?
 534 Scrutaturque cavas decisis frondibus alnos,
 535 aut querceta subit Dodonaeasque cavernas ?
 536 Si curvum pavitantem ensis, si lancea pinguem
 537 hausit aprum : periit voti mox tota cupido.
 538 Atqui non ego te, tua nec spectacula damno,
 539 si modo sufficerent nobis. Quia rure vagantur
 540 sunt privata nimis. Communia gaudia, plausu
 541 communi sancire decet. Venabimur ergo ?
 542 In media potius Brutum venabimur Urbe.
 543 Est mihi, sitque precor vates dilectus ab Oeno.
 544 Qui super Euphraten mediumque canorus Orontem,
 545 dum nostris ludit fidibus, graditurque cothurno :
 546 ecce tibi ! Saliunt montes, et silva recedit
 547 alternum factura pedem. Nemus omne solutis
 548 fit plantis petulans, et migrat ad orgia plectri,
 549 adrepsera ferae plures, quam Bistonis illa
 550 testudo sonitu collectas moverat : (aures
 551 arrexere Dei) quarum sublimior una,
 552 cornua surrexit simo coeuntia vultu.
 553 Crinibus et digitis, et multo corpore, foedis
 554 par avibus Stymp Hale tuis, quas horruit atrox
 555 Phineus, vertentes turpi convivia sulco,
 556 istud prodigium meus interceptit alumnus ;
 557 et pedibus vinctum, Latias transmisit in oras.
 558 Grata est ludibrii species, monstrosa que narrant
 559 indigenae, qualis, quo vivat bellua sumptu.
 560 Quas metamorphoses, quos manes sentiat. Olim
 561 Rex erat, et late sceptrum Babylone movebat
 562 in terras, alio quas Sol novus obruo curru.
 563 Augustus, proneposque Nini, metuendus et armis
 564 et phaleris, gemma gemmas epulatus in uda,
 565 contempsit nostrum nectar, Phrygioque levatos
 566 pincerna latices, et quidquid Juno recoxit
 567 pavonis. Formae eximius mirique decoris
 568 fulgebat. Frons, ora, genae, duo lumina, nares,
 569 caesaries, totumque caput concreverat auro.

570 Hinc dives pretioque ferox ; gentesque regentis
571 pallida cum Bactris timuerunt Susa secures.
572 At postquam tragicos implevit Numine fastus,
573 et caelum incestans terras ex asse petivit :
574 dejectus, factusque fera est. Depascitur herbas :
575 et sua tesqua petens ululat, mugitque, ruditque ;
576 et loquitur. Saltem dat torvo murmure signa,
577 se se velle loqui. Cur non id velle loquatur ;
578 bigeminus stupet, et sibi fit mirabilis ipsi.
579 Id lepidum ! Quoties sua contemplatur in amne
580 colla Niphateo ; palearia pendula damnat,
581 informesque toros, et se ipsum funditus horret.
582 Haud aliter praeter ripas erraverit Io.
583 Talem nostra feram si nunc ad Maenala Boiis
584 ducimus, an poteris mihi succensere Diana ?
585 Illa negat : sentit tamen, affectuque natante
586 plorat, et in medio ridet sua jurgia fletu.
587 Id decuit. Dixit post haec suspiria, fiat.
588 Tunc telis citharaque potens : Dea Boica gaude :
589 Tuque mihi conformis Hymen circumspice Daphnen
590 promissam. Ad latum mandata exhausimus unguem.
591 Nunc agite, et silvas de nostro nomine sacras
592 cingite compedibus : namque has Chaldaeus inerrat
593 hybrida. Habet campum, quo se se gloria jactet.
594 Haec orchestra, nemus ; molesque erecta theatri
595 saltus erit : venator erit mihi Roscius actor.
596 Sunt caveae, sunt et proscenia. Qui bene soccis
597 induitur, poterit praedam deprendere cursu ;
598 et spectatorum cuneis palmaque probari.
599 Deprensam, moneo, ne ferro porrige. Vivam,
600 siste ante ora ducum, majusque merebere nomen.
601 Forsitan Assyrii portentum nobile mundi
602 incoram volet et propius cognoscere laetus
603 sponsus, et in nostris ridebit saltibus Anna.
604 Signa sonent. Infla Clarium Tritonia cornu.
605 Quando Soror Diana nequit, podiumque revise.
606 Bellerophontis equum fortes insternite Musae.
607 Comica luctantes crispent venabula vates,
608 semifерumque trahant, Centauri more ruentem.
609 Desuper ipse volans turbatum agitabo, suisque
610 proliciam latebris. Modo praescia somnia tristi
611 immittam, arcanique poli laqueata futuris
612 rebus, et in vastum quidquid protenditur aevum.
613 Blanditiis modo mulcebo : quibus aequore in alto
614 Delphinus capitur, Britonumque in litore ludit.
615 Sunt mihi tres pueri, linguas quibus ipsa disertas
616 Calliope facunda dedit, docuitque movere.
617 Mitius hi senibus cygnis, vel in ignibus aetnae,
618 et media fornace canent. Commota stupebit
619 bellua. Si Leo sit : capient miracula flammae,
620 innocuo circum volventis corpora lapsu,
621 quaeque recusabit vestes libare favilla.
622 Quod si prodiderit barritu diro elephantum,
623 acclinans latus arboribus, cedrisque comato
624 vertice, trans altas nubes ferientibus astra :
625 Hic situs optandus. Namque hoc solet Africa tuto
626 sternere sopitum. Sonat excisura bipennis
627 arboris hunc fastum, detruncandumque cacumen.

628 Salva stirpe quidem : septem tamen occidet annis.
629 Sunt aliae technae. Disrupto ventre Draconis
630 terreri poterit, fusoque per arva veneno.
631 Cum fugiet, spargam cineres per nobile fanum :
632 tardabunt aliena pedum vestigia cursus.
633 Ut reddam attonitum pecus et mansuescat in umbra,
634 ignotos thyasos quatiā : sua nomina nobis
635 Panque Palesque dabunt, ludentque ad carmina Fauni,
636 et Ganymedeae retinebit Pyrrhica turmae
637 sic capiēda fera est. Properate. Quid ! O quid amoris
638 cernimus ! Adveniunt. Festo clamore Vienna
639 aestuat, et Stephani quatitur lapidosa per auras
640 turris, et ingenti de signat gaudia motu.
641 Jam dextras conjunxit Hymen : jam taeda coruscat
642 pinea, jam spinis aether incenditur albis.
643 Maturate. Venit Princeps cum conjuge conjunx.
644 Mente mea video sudum per inane volantes
645 armigeras avium turmas, colloque jubatos
646 signiferos, agili tuto conflagere lapsu.
647 Deseritur natale solum. Pede prata teruntur
648 gramineos libante toros. Evolvitur Oeni
649 fluctus in occursum, glauco velamine cincti.
650 Quodque aliquos nuper temulentis meraserat undis :
651 admissi sceleris pudet, et Tritona revinctis
652 post tergum remis, ad debita vincula sistit.
653 Procedunt : pulvisque jugis attollitur imis.
654 Sed nubem dispellit Hymen, et turbat arenas
655 imbre superfuso : ne noxia pulvere crasso
656 intempestivos trudat caligo vapores.
657 Adsunt. Intonuit laevum, nubesque resultant.
658 Salve (vos omnes iterato nomine) salve.
659 Pergite. Compositos numeros tamen ante probemus.
660 Seria res agitur. Vox una, sed absona, totum
661 perturbare chorum, et sponsos offendere posset.
662 Praecine Calliope. Peccantem quemque monebo.
663 Par Superum, quod cerno libens, sustollite vultus
664 plaudite consertis manibus. Procede secundis
665 ominibus septemque simul procedite passus.
666 Euterpe revoca octavum : Polyhymnia quinto
667 adde duos. Sero astrorum conscendere sedes
668 Bacche leva vocem. Ut cupias ; jam Stentoris instar
669 ingeminas : moderere sonum, velut incluta Clio.
670 Ut cupias ; multum nostri tibi promimus aevi.
671 Altius. Et Rutilum Sileni fundimus aurum.
672 O rus ! O satyros ! Saturni fundimus aurum.
673 Sis Felix, qui noster ades ; sic Isara leni
674 voce fluas : tu rauca Ceres imitare. Faveto
675 laudibus, et graciles, aliquid, nisi fallor, omisum est :
676 inspice Cymodoce sontem. Propriisque faveto
677 laudibus. Indocti ! quando isto more dicandum
678 perficiemus epos ? Jam lucet ab aethere clarus
679 Hesperus et sponsi veniunt. Procumbite saltem.
680 Solus ego et Musae vota absolvemus Amores.
681 Par Superum, quod cerno libens, procede secundis
682 ominibus. Sero astrorum conscendere sedes
683 ut cupias, multum nostri tibi fundimus aevi
684 sis felix, qui noster ades, propriisque faveto
685 laudibus, et gracilem non aspernare Camenam.

686 Si modo sit devota tibi, facilisque juberi.
687 In mare non rapitur mare, nec cadit aequor in aequor ;
688 sed parvi tantum rivi ; quandoque paludes.
689 Sis felix, quae nostra venis. Tibi saxa ciemus
690 in modulos. Tibi beryllos pictosque tapetes
691 sternimus, et cultae commercia pandimus aulae.
692 Tu parias Caelo, pariat tibi sidera Caelum :
693 et bene speratos maturet Cynthia menses.